

14. * Et in temporibus illis multi con-
surgent adversus regem Austri (s): filii
(s) Philippi quoque pravaricatorum populi tui ex-
tolentur ut impleant visionem, & cor-
donum sordient.
15. Et veniet rex Aquilonis, & compor-
tabit aggerem, & capiet urbes munitissi-
mas: & brachia Austri non sustinebunt, &
confluent electi eius ad resistendum, &
non erit fortitudo.
16. Et faciet veniens super eum iuxta
placitum suum, & non erit qui stet contra
faciem eius: & stabit in terra inclyta (t),
& consumetur (u) in manu eius.
17. Et ponet faciem suam ut veniat ad
tenendum universum regnum eius (x), &
recta faciet cum eo: & filiam femina-
rum (y) dabit ei, ut evertat illud: & non
stabit (z), nec illius erit.
18. Et convertet faciem suam ad insulas,
& capiet multas: & cessare faciet princi-
pem opprobrii sui (a), & opprobrium eius
convertetur in eum.
19. Et convertet faciem suam ad impe-
rium terræ suæ, & impinget, & corruet,
& non invenietur (b).
20. Et stabit in loco eius vilissimus (c),
& indignus decore regio: & in paucis die-
bus conteretur, non in furore, nec in
prælio.
21. Et stabit in loco eius despectus (d),
& non tribuetur ei honor regius: & ve-
niet clam, & obtinebit regnum (e) in frau-
dulencia.
22. Et brachia pugnantis expugnabun-
tur à facie eius, & conterentur: insuper &
dux fœderis (f).
23. Et post amicitias, cum eo faciet do-
lum: & ascendet, & superabit in modico
populo.
24. Et abundantes, & uberes urbes in-
gredietur: & faciet quæ non fecerunt pa-
care & deludere conatus est
Antiochus, consiliis Hannibalis: sed tandem ab eo devictus est, qui indè
Asiatici cognomen reportavit.
(b) Cum enim Syriam repertiisset, & nocte templum Iovis
Elimæi aggrediretur; concursu incolarum interficitur.
(c) Seleucus Philopator Antiochi Magni filius, qui cum He-
liodorum ad ærarium templi invadendum misisset; paucis
post diebus eiusdem insidiis periit.
(d) Antiochus Epiphanes, Seleuci frater, quem supra dixit
impudentem facie. 3. 23.
(e) Demetrio Seleuci filio debitum.
(f) Iudas Machabeus. Vel hoc dicit, quia cum ipse Antio-
chus pacem obtulisset Ptol. Philometori, sororis filio, dux-
que fœderis fuisset, postea ei molitus insidias, cum modica
manu Ægypto est potitus. Ita hic Hier. qua pulchre ad Anti-
christum accommodat.

contra firmissimas (g) cogitationes inibit:
& hoc usque ad tempus.
25. Et concitabitur fortitudo eius, &
cor eius adversum regem Austri (h) in
exercitu magno: & rex Austri provocabi-
tur ad bellum multis auxiliis, & fortibus
nimis: & non stabunt, quia inibunt adver-
sus eum consilia.
26. Et comedentes panem cum eo, con-
terent illum, exercitulusque eius opprime-
tur: & cadent interfecti plurimi.
27. Duorum quoque regum cor erit ut
malefaciant, & ad mensam unam men-
daciū loquentur (i), & non proficiet:
quia adhuc finis in aliud tempus.
28. Et revertetur in terram suam cum
opibus multis: & cor eius adversum testa-
mentum sanctum, & faciet, & revertetur
in terram suam.
29. Statuto tempore (k) revertetur, &
veniet ad Austrum (l): & non erit priori
simile novissimum.
30. Et venient super eum Trieres, &
Romani: & percutietur, & revertetur, &
indignabitur contra testamentum sanctua-
rij, & faciet: reverteturque & cogitabit
adversum eos, qui dereliquerunt testamen-
tum sanctuarij.
31. Et brachia ex eo stabunt, & pol-
luent (m) sanctuarium fortitudinis, & au-
ferent iuge sacrificium: & dabunt abomi-
nationem (n) in desolationem.
32. Et impii in testamentum simulabunt
fraudulenter: populus autem sciens Deum
suum, obtinebit (o), & faciet.
33. Et docti (p) in populo docebunt
plurimos: & ruent in gladio, & in flam-
ma, & in captivitate, & in rapina die-
rum.
34. Cumque corruerint, sublevabuntur
auxilio parvulo (q): & applicabuntur eis
plurimi fraudulenter.
35. Et de eruditis ruent, ut consentur,
& eligantur (r), & dealbentur usque ad
tempus præfinitum: quia adhuc aliud tem-
pus erit.
36. * Et faciet iuxta voluntatem suam
rex (s), & elevabitur, & magnificabitur
adversum omnem deum: & adversum Deum
deorum loquetur magnifica (t), & dirige-
tur, donec compleatur iracundia (u): per-
petrata quippe est definitio.
37. Et

(g) Sup. urbes, in Hebr. cl., contra num-
nitiones.
(h) Ptol. Philometora.
(i) Cum Memphide convenissent.
(k) A Deo, ut sup. & infr.
(l) Secundâ expeditione, de qua 2. Mac. 5.
(m) Ut est 1. Mac. 1. 23. & seq. 2. Machab. 2. 15.
(n) Iovis Olympij simulacrum in ipso templo collo-
cabunt. 2. Mac. 6. 2. cum 1. Machab. 1. 57.
(o) Aliter legitur. 2. Machab. 6. 17.
(p) Machabæorum.
(q) 1. Mach. 2. & 2. Mach. 5.
(r) Hebr. mundentur. V. inf. 12. 10.
(s) Sup. 8. 4. & 11. 3.
(t) Antiochus Epiphanes.
(u) Vide 1. Mach. 2. 6. & 2. Mach. 8. 4. 9. 28. 10. 4. 11. 34. & seq.
(u) Dei in populum suum.

CAPUT XII.

Post magnam afflictionem tandem salvabun-
tur reliquia Iudeorum, & ex mortuis qui-
dam resurgent ad vitam, & quidam ad
opprobrium; docti vero ac doctores fulge-
bunt: de duobus ad ripas fluminis stanti-
bus, & viro lineis vestito, qui temporis
aperit determinationem: & de comple-
tione huius prophetiæ statutum tempus.

1. **I**N tempore autem illo confluet Mi-
chaël * princeps magnus, qui stat
pro filiis populi tui: & veniet tempus qua-
le non fuit ab eo ex quo gentes esse cœpe-
runt usque ad tempus illud. Et in tempore
illo salvabitur populus tuus, omnis qui in-
ventus fuerit scriptus in libro.
2. Et multi de his, qui dormiunt in ter-
ræ pulvere, evigilabunt: * alii in vitam
æternam, & alii in opprobrium ut videant
semper.
3. Qui autem docti fuerint, * fulge-
bunt quasi splendor firmamenti: & qui ad
iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in
perpetuas æternitates.
4. Tu autem Daniel claude sermones, &
signa librum usque ad tempus statutum:
plurimi pertransibunt, & multiplex erit
scientia.
5. Et vidi ego Daniel, & ecce quasi duo
alii stabant: unus hinc super ripam flumi-
nis, & alius inde ex altera ripa fluminis.
6. Et dixi viro, qui erat indutus lineis,
qui stabat super aquas fluminis: Usquequo
finis horum mirabilium?
7. Et audivi virum, qui indutus erat
lineis, qui stabat super aquas fluminis,
* cum elevasset dexteram & sinistram suam
in cælum, & iurasset per viventem in æter-
num, quia in tempus, & tempora, & di-
midium temporis *. Et cum completa fue-
rit dispersio manus populi sancti, comple-
buntur universa hæc.
8. Et ego audivi, & non intellexi. Et
dixi: Domine mi, quid erit post hæc?
9. Et ait: Vade Daniel, quia clausi sunt,
signatique sermones usque ad præfinitum
tempus.
10. Eligentur, & dealbentur, & qua-
si ignis probabuntur multi: & impiè agent
impii, neque intelligent omnes impii, por-
ro docti intelligent.
11. Et à tempore cum ablatum fuerit iu-
ge sacrificium, & posita fuerit abominatio
in desolationem, dies mille ducenti nona-
ginta *.

37. Et Deum patrum suorum non re-
putabit: & erit in concupiscentiis fe-
minarum (x), nec quemquam deorum
curabit: quia adversum universa con-
surgit.
38. Deum autem Maozim (y) in loco
suo venerabitur: & Deum, quem igno-
raverunt patres eius, colet auro, & ar-
gento, & lapide pretioso, rebusque pre-
tiosis.
39. Et faciet ut muniat Maozim (z)
cum Deo alieno, quem cognovit, & mul-
tiplicabit gloriam, & dabit eis potesta-
tem in multis, & terram dividet gra-
tuitò.
40. Et in tempore præfinito præliabitur
adversum eum rex Austri (a), & quasi tem-
pesta veniet contra illum (b) rex Aquilo-
nis in curribus, & in equitibus, & in clas-
se magna, & ingredietur terras, & con-
teret, & pertransiet.
41. Et introibit in terram gloriosam (c),
& multæ corruent: hæc autem solæ salva-
buntur de manu eius, Edom, & Moab, &
principium filiorum Ammon (d).
42. Et mittet manum suam in terras: &
Terra Ægypti non effugiet.
43. Et dominabitur thesaurorum auri,
& argenti, & in omnibus pretiosis Ægypti:
per Libyam (e) quoque, & Æthiopiam
transibit.
44. Et fama turbabit eum ab Oriente &
ab Aquilone: & veniet in multitudine
magna ut conterat & interficiat pluri-
mos.
45. Et figet tabernaculum suum Apad-
no (f) inter maria (g), super montem (h)
inclytum & sanctum: & veniet usque
ad summitatem eius, & nemo auxiliabi-
tur ei.
novi Dei sui, De arce templo superposita, vido 1. Mach. 1. 35.
& 2. Mach. 5. 22.
(a) Ptol. Philometor.
(b) Cum Phisconis, sive Evergetis 2. causam suscipere se
simulans Antioch. Epiphaa. Ægypti invadendæ captabat oc-
casione.
(c) Iudæam. Vid. supr. 16.
(d) Quos in Iudæam festinans, non attinget Antiochus.
(e) Hebr. Libyes & Æthiopes ad gressus eius: sive quòd
eum tanquam ducem sequerentur, sive quòd bello capti co-
mitarentur.
(f) Hebr. Et plantabit tabernacula Palatii sui: Neque enim
Apadno videtur esse nomen proprium, unde etiam illud omi-
serunt Septuaginta.
(g) Mortuum sc. & Mediterraneum.
(h) Montem Oliveti, ubi etiam volunt periturum Anti-
christum. Hieronym.

* V. Apoc. 12. 7. Hic autem manifestè agit Angelus, de consummatione sæculi & Antichr. ut contra Porphyr. contendit Hieronymus.
* Matth. 25. 46. Ioh. 5. 29. Heb. doctores acti: yd enim sumitur, i. qui his difficillimis temporibus alios influerint in veritate. * Sap. 3. 7.
* Apoc. 10. 5.
* Supr. 7. 25. Id autem est tres annos cum dimidio.
* i. Tres anni cum dimidio, quibus Sanctos persecutus est Antichristus. Hieronym. Vid. Apoc. 12. 6.

12. Beatus, qui expectat, & pervenit usque ad dies mille trecentos trigintaquin-

(a) Quia que (a).
post inter-
fectum Au-
tichristum
adhuc 45.
dies super-
stes erit
Elias, prae-
dicans.
Theodoret.

Quibus finitis venturus est Dominus. Idem cum Hieronymo.
(b) i. Tempus est ut vitæ finem fortiaris. Theodoret. Cum esset tunc Daniel annorum 85.

CAPUT XIII.

Castissimam Susannam impudici presbyteri, cum eius concubitu frui non possent, falso adulterij accusant: sed cum ad mortem duceretur, orantem exaudivit Deus: & per puerum Daniele proprio ore convictos senes, iure talionis populus interimit.

SABB.
P O S T
D O M . 3 .
Q U A D R .
* Ann. M.
3398. de-
finente.
Ant. Chr.
606.

1. ET erat vir habitans in Babylone*, & nomen eius Ioakim:

2. Et accepit uxorem nomine Susannam, filiam Helciae pulchram nimis, & timentem Deum:

3. parentes enim illius, cum essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi.

4. Erat autem Ioakim dives valde, & erat ei pomarium vicinum domui suae: & ad ipsum confluebant Iudaei, eò quòd esset honorabilior omnium.

5. Et constituti sunt de populo duo senes iudices in illo anno: de quibus locutus est Dominus: Quia egressa est iniquitas de Babylone à senioribus iudicibus, qui videbantur regere populum.

6. Isti frequentabant domum Ioakim, & veniebant ad eos omnes, qui habebant iudicia.

7. Cum autem populus revertisset per meridiem, ingrediebatur Susanna, & deambulabat in pomario viri sui.

8. Et videbant eam senes quotidie ingredientem, & deambulantem: & exarserunt in concupiscentiam eius:

9. & everterunt sensum suum, & declinaverunt oculos suos ut non viderent caelum, neque recordarentur iudiciorum iustorum.

10. Erant ergo ambo vulnerati amore eius, nec indicaverunt sibi vicissim dolorem suum:

11. erubescabant enim indicare sibi concupiscentiam suam, volentes concumbere cum ea:

12. & observabant quotidie sollicitius videre eam. Dixitque alter ad alterum:

13. Eamus domum, quia hora prandij est. Et egressi recesserunt à se.

14. Cumque revertissent, venerunt in unum: & sciscitantes ab invicem causam, confessi sunt concupiscentiam suam: & tunc in communi statuerunt tempus, quando eam possent invenire solam.

15. Factum est autem, cum observarent diem aptum, ingressa est aliquando sicut heri & nudius tertius, cum duabus solis puellis, voluitque lavari in pomario: æstus quippe erat:

16. & non erat ibi quisquam, præter duos senes absconditos, & contemplantes eam.

17. Dixit ergo puellis: Afferte mihi oleum, & smigmata, & ostia pomarij claudite, ut laver.

18. Et fecerunt sicut præceperat: clauseruntque ostia pomarij, & egressæ sunt per posticum ut afferrent quæ iusserat. nesciebantque senes intus esse absconditos.

19. Cum autem egressæ essent puellæ, surrexerunt duo senes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt:

20. Ecce ostia pomarij clausa sunt, & nemo nos videt, & nos in concupiscentia tui sumus: quam ob rem assentire nobis, & commiscere nobiscum.

21. quòd si nolueris, dicemus contra te testimonium, quòd fuerit tecum iuvenis, & ob hanc causam emiseris puellas à te.

22. Ingenuit Susanna, & ait: Angustia sunt mihi undique: si enim hoc égero, mors mihi est: si autem non égero, non effugiam manus vestras.

23. Sed melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quàm peccare in conspectu Domini.

24. Et exclamavit voce magnâ Susanna: exclamaverunt autem & senes adversus eam.

25. Et cucurrit unus ad ostia pomarij, & aperuit.

26. Cum ergo audissent clamorem famuli domus in pomario, irruerunt per posticum ut viderent quidnam esset.

27. Postquam autem senes locuti sunt, erubuerunt servi vehementer: quia nunquam dictus fuerat sermo huiusmodi de Susanna. Et facta est dies crastina.

28. Cumque venisset populus ad Ioakim virum eius, venerunt & duo presbyteri ple-

pleni iniquâ cogitatione adversus Susannam ut interficerent eam.

29. Et dixerunt coram populo: Mittite ad Susannam filiam Helciae uxorem Ioakim. Et statim miserunt.

30. Et venit cum parentibus, & filiis, & universis cognatis suis.

31. Porro Susanna erat delicata nimis, & pulchra specie.

32. At iniqui illi iusserunt ut discooperiretur (erat enim cooperta) ut vel sic fatiarentur decore eius.

33. Flebant igitur sui, & omnes qui noverant eam.

34. Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput eius.

35. Quæ flens suscepit ad caelum: erat enim cor eius fiduciam habens in Domino.

36. Et dixerunt presbyteri: Cum deambularem in pomario soli, ingressa est hæc cum duabus puellis: & clausit ostia pomarij, & dimisit se puellas.

37. Venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus, & concubuit cum ea.

38. Porro nos cum essemus in angulo pomarij, videntes iniquitatem, cucurrimus ad eos, & vidimus eos pariter commiseri.

39. Et illum quidem non quivimus comprehendere, quia fortior nobis erat, & apertis ostiis exilivit:

40. hanc autem cum apprehendissemus, interrogavimus, quisnam esset adolescens, & noluit indicare nobis: huius rei testes sumus.

41. Creditis eis multitudo quasi senibus & iudicibus populi, & condemnaverunt eam ad mortem.

42. Exclamavit autem voce magnâ Susanna, & dixit: Deus æterne, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant,

43. tu scis quoniam falsum testimonium tulerunt contra me: & ecce infortior, cum nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt adversum me.

44. Exaudivit autem Dominus vocem eius.

† Iam in eo per innocentiam morum inhabitantem unde etiam à cibus regis abstinuerat. Supr. cap. 1. * Nempe annorum 12. ut scripserunt sancti. Ignatius Martyr, Sulpitius Severus, & alii.

45. Cumque duceretur ad mortem, suscitavit † Dominus spiritum sanctum pueri junioris, * cuius nomen Daniel:

46. Et exclamavit voce magna: Mundus ego sum à sanguine huius.

47. Et conversus omnis populus ad eum, dixit: Quis est iste sermo, quem tu locutus es *?

48. Qui cum staret in medio eorum, ait: Sic fatui filii Israël, non iudicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israël?

49. Revertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt adversus eam.

50. Reversus est ergo populus cum festinatione, & dixerunt ei senes: Veni, & sede in medio nostrum, & indica nobis: quia tibi Deus dedit honorem senectutis.

51. Et dixit ad eos Daniel: Separate illos ab invicem procul, & diiudicabo eos.

52. Cum ergo divisi essent alter ab altero, vocavit unum de eis, & dixit ad eum: Inveterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua, quæ operabaris prius:

53. iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimens, & dimittens noxios, dicente Domino: * Innocentem & iustum non interficies.

54. Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. Qui ait: Sub schino.

55. Dixit autem Daniel: Rectè mentitus es in caput tuum: Ecce enim Angelus Dei accepta sententiâ ab eo, scindet te medium.

56. Et, amoto eo, iussit venire alium, & dixit ei: Semen Chanaan, & non Iuda, species decepit te, & concupiscentia subvertit cor tuum:

57. sic faciebatis filiabus Israël, & illæ timentes loquebantur vobis: sed filia Iuda non sustinuit iniquitatem vestram.

58. Nunc ergo dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait: Sub prino.

59. Dixit autem ei Daniel: Rectè mentitus es & tu in caput tuum: manet enim Angelus Domini, gladium habens, ut sciet te medium, & interficiat vos.

60. Exclamavit itaque omnis cætus voce magna, & benedixerunt Deum, qui salvat sperantes in se.

61. Et consurrexerunt adversus duos presbyteros (convicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium) feceruntque eis sicut malè egerant adversus proximum,

62. * ut facerent secundum legem Moysi: * Deut. 19. & interfecerunt eos, & salvatus est sanguis innoxius in die illa.

63. Helcias autem & uxor eius laudaverunt Deum pro filia sua Susanna cum

* Miratur populus, ut cui sapientia Danielis adhuc fuerat ignota. Iure itaque opinari possumus, hoc primum eius fuisse miraculum. Conf. cum c. 2. v. 13.

* Exod. 23. 7.